

tametsi non Auctor. Mea hæc illius radius & riuulus,  
surculusque Theologia est; indidem dimanet oportet,  
unde illa profluxit in publicum; Te Parente, lucem  
aspiciat, Te Patrono, se tueatur; Te vindice, trium-  
phum agat. Et verò, cui dignius tuendos consecrem  
hos DE CHRISTO libros, quàm Christi Tutori? Cui  
custodiendos, seruandosque DE DEIPARA commen-  
tarios, quàm ipsimet Custodi Virginis, & Seruatori  
Seruatoris? Cui doctrina DE SACRAMENTIS com-  
mittenda melius, quàm cui cura Auctoris Sacramen-  
torum commissa est, qui abscondita à constitutione  
mundi, salutis nostræ Sacramenta mysteriaque per-  
spexit oculis, manibus explorauit, animo veneratus  
est, nec mente solum ac cogitatione, sed brachiis etiam,  
complexuque corporeo comprehendit? Fave igitur  
huic Clientis tui voto, Diuorum Fortunatissime; &  
quoniam non aliud mihi votum est, nisi debitum,  
eternumque tibi præstare cultum, me tuo perge fa-  
uore prosequi, ut Te semper honore prosequar. Hoc  
votum sequor, ambio, prehenso; hoc vnum votum  
est meum, esse tuum.